



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor  
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum  
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,  
Coordinatus, Seu Omnes ...**

**Diana, Antonino**

**Lugduni, M. DC. LXXX.**

310. An licentia virtute Decreti Urbani VIII. concessa alicui Religioso colloquendi cum Monialibus extendatur etiam ad socium? Et quid est agendum, si contingat Religiosum habentem lecentiam ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76429](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76429)

lūm priuant Officiis, sed etiam cū sint privatiuæ vocis actiuæ, & passiuæ reddant transgressores illegibiles, & impossibiles actiuè, & passiuè, & ideo ad illas incurrendas requiri videtur peccatum mortale.

4. In vno tamen casu sententiam Patris Vidal admitto, nempe, quando Regulares loquerentur auctoritatibus, vel aliis Monialibus ex officio interessentibus ad colloquium faciendum de licentia Superioris cum vna Moniali determinata. Et ita docet Pellizzarius *ubi supra, num. 219*. Ianuarius, *ubi supra, n. 15*. & alij penes ipsum.

## RESOL. CCCIX.

*An Episcopus sante Decreto Urbani VIII. possit negare licentiam Regularibus colloquendi per quatuor vices in anno cum Monialibus in primo, & secundo gradu sibi coniunctis?*

*Et quid est agendum, quando Religiosus necessitatem habet alloquendi Monialem, quia contractum habet celebrare vel quid simile, & non visere præcisè consanguineam ex vrbantate: an toties quoties opus fuerit, possit licentiam ad Ordinario, & licet non sit consanguineus?*

*Et an Religiosus, si loquatur, v.g. cum sorore Moniali alio die a præscripto in literis licentia, an inquam, peccet mortaliter?*

*Et an Nouitio Equiti S. Ioannis, vel alterius Religionis possit Episcopus concedere licentiam, ut possit loqui cum Monialibus ultra casus prædictos ad instar secularis? Ex p. 10. tr. 14. & Misc. 4. Ref. 52. alias 50.*

Sup. hoc pro parte doctrinae huius Ref. & eius verbi, post finem, & pro primo gradu infra in fine Ref. 311. & etiam in fine Ref. 312.

§. I. Respondet affirmatiuè doctus, & amicissimus Pater Bordonus in *Miscellaneis Casuum Conscientia, decis. 222*. nam in dicto Decreto habentur hæc verba: *Quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire, licentiam concedere possint*, non dicit debeant sed possint, quod verbum affirmatiuè sumptum, vt hic importat actum voluntarium, non necessitatis. Bartolus in *leg. Gallus, ff. de liber. & posth. numer. 4*. Ruinus, *vol. 1. consil. 69. num. 12*. Barbosa, *dist. 268. n. 1*. Similem sensum facit alia clausula: *Quatenus sibi visum fuerit in Domino expedire*; importat siquidem arbitrium boni viri secundum rectam conscientiam regularem; ita quod si concedat licentiam; patet eum posse in tali casu concedere sine periculo alicuius peccati, aliter expeditio non esset in Domino. Sed quid dicendum quando Religiosus necessitatem habet alloquendi Monialem, puta quia contractum debet celebrare, vel quid simile, & non inuisere præcisè, consanguineam ex vrbantate; tenetur Vicarius concedere licentiam, quia casus viget, & charitas persuadet id agendum esse ab Ordinario. Confirmatur, quia extraneo in simili casu providere debet, quia à iure communi collocutio necessaria non prohibetur, vt colligitur *cap. Monasteria. 8. de vita, & honestate*, sed tantum vitiosa, & periculosa, ibi: *Sine manifesta, & rationabili causa frequentare præsumpsit*. Igitur virtute supradictæ Ordinationis Ordinarius concedere potest licentiam consanguineis primi, & secundi gradus alloquendi, & hoc procedit ex causa vrbantatis & parentelæ; nam alias habens necessitatem, seu causam legitimam accedendi ad Monasteria Monialium, præcedendo à supradicta ordinatione, potest licentiam ab Ordinario toties, quoties opus fuerit, licet non sit Consanguineus, quia id illi nullo iure prohibetur, neque per dictam ordinationem emanatam fuore colloquutionem ex vrbantate, & pietate Consanguineorum. Hæc omnia Bordonus *ubi supra*.

2. Sed si aliquis hic incidenter querat: An Religiosus, si loquitur v.g. cum Sorore Moniali alio die a præscripto in literis licentia, an, inquam, peccet mortaliter? Et negatiuè ego olim respondi, nulla nixu auctoritate Doctoris; sed nunc inuenio hanc sententiam docere Bordonum *ubi supra in Miscellaneis, decis. 249*. Quia mutatio diei, seu horæ videtur quid parui momenti, neque verisimile est, pro hac modica transgressione affici peccato mortali, quod priuat gratia Dei. Deinde alloquens sine licentia peccat mortaliter, vt referunt decem; ergo alloquens cum licentia non seruato modo in ea præscripto excusandus est à peccato mortali: nam aliquid habet operari ea licentia pro foro conscientia, cum licentia etiam illicita sit licentia; Glossa, *1. cap. Si qua 26. 27. quæst. 1*. quod maximè verum est, quando illicita prouenit ex abusu, non enim abusus destruit licentiam ante subsistentem; Nec obstat quod pro nulla habeatur non seruata forma in Decreto præscripta, si b qua forma continetur dies, & hora expressa in ipsa licentia; quia cum hoc Decretum fundetur in præsumptione, non obligat in foro animæ, quando adest veritas in contrarium & id quando Religiosus bono fine alloquitur Monialem Sororem, sed intelligitur, quod licentia sit nulla pro foro externo. Quod lex fundata in præsumptione, vti est hoc Decretum, non liget in foro conscientia, sed tantum pro foro externo, docent quam plures classici Doctores, quos citat pro se Diana, *resol. 27. de Legit. Quæ intellectus Decreti facit pro foro externo, quod nulla reputatur licentia, quando non seruatur in ea præscriptum*. Et hæc omnia, vt dixi, docet Bordonus *ubi supra*.

3. Notandum est etiam hic obiter, quod Nouitio Equiti S. Ioannis, vel alterius Religionis possit Episcopus concedere licentiam, vt possit loqui cum Monialibus, ultra casus prædictos, ad instar secularis, quia licet Nouitius in fauorabilibus reputetur pro Religioso, non tamen in odiosis. Ita Portel, in *Dubijs Regularibus. verb. Nouitij absolutio, numer. 39*. Et ita hanc sententiam in terminis docet nouissime Squillante de *Obligat. & Priuil. Episc. part. 1. cap. 13. num. 51*.

## RESOL. CCCX.

*An licentia virtute Decreti Urbani VIII. concessa alicui Religioso colloquendi cum Monialibus extendatur etiam ad socium?*

*Et quid est agendum, si contingat Religiosum habentem licentiam accedendi ad colloquendum cum Monialibus non posse accedere die statuta, an sit probabile ex vi dictæ licentia posse accedere alia die, si parum tempus intercedat?*

*Et notatur, quod si aliquis Regularis vult colloqui cum Moniali subiecta Regularibus, præter licentiam Episcopi, opus sit, vt adijt etiam licentia Superioris Regularis illius Monasterij Exp. 9. tr. 7. & Misc. 2. Ref. 33.*

§. I. Affirmatiuè respondet Peyrinus in *addit. seu primò, quod in Constit. 6. Pij V. n. 7*. post innotum Decretum Urbani VIII. quo conceditur facultas Ordinarius dandi licentiam Regularibus, vt possint Moniales consanguineas alloqui, istam verò licentiam extendi ad socios, docent Rodriguez *rom. 3. 99. Reg. 9. 6. art. 1*. Riccius *1. p. praxis. dec. 745*. de connexis enim idem est in dicitum, *cap. Translatio de Const. Vnde licentia Papæ alicui concessa visitandi Sacrosanctum Ierosolymitanum Domini Sepulcrum, extenditur ad socium à Superiore quocunque assignandum.* Ita ille, & post illum

illum hanc sententiam docet Pellizzarius tr. de Monial. c. 10. sect. 1. q. 10. n. 19. aduer. 7. quibus ego addo Lezanam in Summa qq. Regul. to. 4. verb. Moniales, a. 23. & Tamburini de iure Abbatisfaru. dis. 26. q. 3. n. 2. Sed, vt verum fatear, haec opinio mihi non placet: nam, licet connexorum idem sit iudicium, vt patet in l. 3. §. iudicio contrar. ff. de contrar. act. iurel. l. Proinde ff. ad legem Aquil. l. Eum actum. ff. de negot. gestis. c. Translatio. de constit. c. Praterea. de offic. deleg. Marfilus sing. 251. Decianus consil. 45. n. 17. cum seqq. l. 1. Crauetta consil. 275. n. 3. cum seqq. Castrensis consil. 110. n. 2. cum seqq. l. 2. Ioann. de Imola consil. 139. n. 6. & seqq. Tamen hoc procedit, quando connexa separationem non recipiunt, vt ex Decio in c. Si duobus, n. 19. de appell. & consil. 3. n. 2. Boer. dec. 7. n. 4. & seqq. Parisi consil. 66. n. 13. cum seqq. vol. 1. c. claudit Marches. de Commiss. p. 1. c. 5. n. 90. ita vt vnus, & alterius idem sit iudicium. Gloss. verb. Annexi, in c. Ch. sing. de prob. l. 6. Gloss. verb. Consecra, in c. Quanto de iudic. Hypolytus sing. 251. Guillelmus Bened. in c. Raynuius de restam. ver. & hortum a. n. 1. Menochius de arbitrar. l. 1. q. 45. & l. 2. cas. 95. Girardus de prin. sen. exempt. explicat. n. 75. Itaque regula connexorum procedit, quando id, quod efficitur in vno, necesse est efficitur in altero. Et idem connexa dicuntur indiuidua. Quae omnia obseruat etiam Scaccia de appell. q. 17. limit. 21. n. 26. Ancharanus consil. 160. n. 2. Crauetta consil. 275. n. 4. & 5. Surtus dec. 199. n. 13. & alij. Cum igitur in casu nostro non militet eadem ratio inter connexa, vt de se patet; nec, quod efficitur in vno, necesse est, vt efficitur in altero, & idem indiuidua non sunt; non potest militare inter ea, vt diximus, Regula connexorum. Itaque vnus focus recitat deuote Rosariu, vel officium. aut legat aliquem librum spiritualē, dum alter focus loquitur cu sorore; haec enim quid pertinet ad ipsu; Et si praedicta confirmantur ex praxi, vt reor, vbi que recepta; nam Episcopi non permittunt, quando praebent licentia alicui Regulari vigore De creti Vrban VIII. colloquendi cum aliqua Moniali, vt eius focus fruatur hoc priuilegio, & loquatur cum ipsa; neque etiam Superiores Regulares hoc illi permittunt; ergo, &c.

3. Adhaere tamen libenter P. Pellizzario vbi supra, qui ait: Quod, si contingat, Religiosum habentem licentiam accedendi ad aliquam Monialem non posse accedere die statuta, aliqui viri docti putant, non esse improbabile illum vi dictae licentiae posse accedere alia die; si parum temporis intercedat, nullum subfit periculum scandali, & dies, qua acceditur, alias non sit verita: probanteque ex eo, quod Superior in tali casu quoad mutationem diei non censetur inuitus: cum statim fieri censetur, quod fit pauld post, & parum distans nihil distare videatur; vel certe, si est inuitus, est solum inuitus quoad modum, quod non sufficit, vt vtens licentia dicatur peccare mortaliter.

4. Notandum est etiam hic, quod si aliquis Regularis vult colloqui cum Moniali subiecta Regularibus, praeter licentiam Episcopi, opus est, vt adit etiam licentia Superioris Regularis illius Monasterij. Circa quam licentiam sic statuit (teste Lezana in Sum. tom. 3. verb. Moniales n. 23.) Sac. Congr. die 29. Ianuarij, 1633. Moniali Regularibus subiectaru Superiores, subscribentes post Episcopum, vel eius Vicarium, licentias eorum, quia colloquutoria accedunt, vel clausura ingrediuntur, non possunt quid excludere, addere, vel adimere; ex illis, quae Episcopus ipse, aut Vicarius pro cura, & bono regimine clausura, & licentias praescribit, & apponit.

RESOL. CCCXI.

In licentijs, quae conceduntur Regularibus, ut possint colloqui cum Monialibus apponuntur quadam conditiones, quae vnus earu adimpletio obliget sub mortali? Et an Regularis possit loqui cum Matre, vel filia Matris?

Tom. VII.

mali sine licentia: Ex p. 8. tr. 7. & Misc. Ref. 60.

§. 1. **E**Go de hoc casu dum Panormi degerem, interrogatus, in partem negatiuam inclinavi, quia non videbam obseruari sub tanto onere, & nouissime inueni hanc sententiam sine vlla formidine docere F. Sanctorum a Melfi in conu. ad conu. Minorum, c. 11. stat. 7. q. 1. vbi sic ait. Clarius conuicitur abesse peccatum mortale, si aliae formalitates non seruentur, vt non liceat determinatis diebus, nisi licentia confignetur Confessario ordinario, quod is affociet, & adsit, quod aulculatrices assistant, quod concedatur licentia pro die, & hora certis, quod adnotetur in libris Cancellariae, haec enim omnia vix simul conuenire possunt, nec credo ab aliquo hucique punctualiter obseruata esse; quia cum decretum non praecipiat, nec cogat Confessarium, quod velit nolit assistat, ipse poterit recedere, & horam, ac diem assignatas frustrare, vel postquam accesserit Religiosus ad parlatorium, poterit recedere. Eo vel maxime si longiorem Religiosus protrahat sermonem, & Confessarius recitaturus sit horas Canonicas, vel ob frigus, & torporem deabulet, an censendus sit praesens esse? Cum in iure erit praesens, etiam si sit in alio cubiculo domus, vt alibi dictum est, & sic vel sine culpa sua peccabit mortaliter, vel licentiam exequi non poterit, quia si die, & hora assignatis adesset Confessarius extraordinarius: an essemus in rigore decreti requirentis ordinarium? An etiam tunc esset peccatum mortale? Idem etiam dici potest de aulculatricibus, quas cogere non poterit nec Confessarius, nec allocuturus, quin imo si calu, solita aulculatrices impeditae rationaliter essent, tunc loqui non poterit, quia sine illaru assistentia licentia non valet. Si hora, & dies assignetur, v. g. 18 & praedicta Monialis non compareat, nisi 23. licentia non valebit, & peccabit mortaliter. Si Cancellarius pigris non adnotet talem licentiam in libris Cancellariae (solent enim aliquando, nec grauiore scripturas adnotare, maxime vbi nihil licentur), & dicat impetranti, adnotabo illam & obliuiscatur, aut non curet, Religiosus peccabit mortaliter, si loquatur; quia decretum dicit, poenis in supra dicto decreto contentis, ac si nullam licentiam obtinuisset, eo ipso nouerint se addictos, & seuerius etiam puniendos. Et quod praecipitur de die, & hora facillime accidere potest, vt tali die, vel hora Moniales occupatae sint, quibus Episcopus praecipere non poterit, (si suae subdita non fuerint) vt audiant colloquentem. Et diebus exceptuatis, nescio an peccaturi sint mortaliter, si aliquo die Quadragesimae, vel ieiunij loquantur Monialibus, eo vel maxime, cum his diebus, ob afflictionem corporis, magis sint mortificatae, & deuotae, & praesupponantur minus obuia vanitatibus, quam si concedatur licentia loquendi in hebdomada Quinquagesimae, quando fiunt Bacchanalia vel in Octaua Paschae exactis ieiunijs, quibus etiam animus in hilaritatem soluitur? Et tandem discurrendum esset, An Episcopi mortaliter peccent: haec non obseruantes, quibus dicitur quod si locorum Ordinarij per plures vices, vel in vltiori gradu, aut aliter, quam seruata forma supra dicta, licentias concesserint, vel promiserint, sciant se intentionis sanctissimi D. N. & S. Congr. transgressores, iudiciumque reformident? Et an intentio Sanctissimi sit, quod sub mortali peccato, modo supra scripto procedant, quod non est dicendum, quia nullam poenam imponit, ex qua culpa grauitas conticiatur, nec condiciones illae sunt adeo graues, vt culpam mortalem inuoluant? Haec tetigisse sufficiat, ne mortalia peccata multiplicentur, quando caula grauis non vigeat. Huculque Sanctorus loco citato, qui etiam quest. 6. putat, Regularem posse loqui cum matre, vel filia Moniali sine licentia, quia, ait ille, hic casus est minimum exceptuatus, nullam suspicionem admittere valens: & idem

Sup. contero in hac Ref. vique anno. seq. lege doctrinam Ref. seq.

Sup. hoc supra in Ref. 309. in principio, & in fine Ref. seq.

F